I. N. J.

DE

LUDIS OLYM-
PICIS,

Quæſtiones Hiſtorico-Politicas

AMPLISS. SENATUS PHILOSOPH. CONSENSU

IN ILLUSTRI

ACADEMIA LIPSIENSI,

SUB PRÆSIDIO

VIRI REVERENDI atque CLARISSIMI

DOMINI

M. JO. FRIDER. MAYERI,

S. Theol. Baccalaurei.

P. P.

HEINRICUS DAUDERSTADIUS,

FRIBURGENSIS THUR. LL. STUDIOS.

D. 22. Martii A. O. R. CIↃ IↃC LXXI.

LIPSIÆ,

Recuſa Typis Joh. Chriſtoph. Brandenburgeri. 1705.

FIRENZE

Digitized by Google

In Nomine JESU!

Procemium.

Romanæ (ſapientiſſimæ aliàs) gentis morum gravitatem ac conſtantiam, ſi quis ex ludorum æſtimatione judicet, non levitatis ſubterfugiet notam. Licet enim hos à Deis (majorum gentium etiam) in deliciis haberi, *a*) & illorum geri curam, *b*) firmiter crederet, licet *primum Ludorum Editoribus tantus fuerit tributus honor, ut iis etiam à Senatoribus adſurgeretur, haberentque jus ſedendi prope Senatum & vacationem munerum.* *c*) Licet veſtibula eorum ut principum à nobili & equeſtri juventute frequentarentur, *d*) ipſi Principes *e*) ludorum præſides, aut illorum loco viri honoratiſſimi. Licet ex ærario publico & reditibus publicis ſalaria acciperent, *f*) & leges illis ut aliis ſcripſerint adeo ut celeberrimi Antonii de Gvevara hac de re hoc ſit judicium: *Præclara ſane & Romanis laudibus annumeranda providentia, quod vivendi modum ludionibus & hiſtrionibus, perinde ac cæteris officiariis Romæ & ducibus belli præſcribere voluerunt: non minus ſuam hac in parte, quam in gravioribus negotiis, demonſtrantes prudentiam.* LABORIOSIUS enim Reipubl. gubernatori eſt duos corrigere ſtolidos, quam centum regere cordatos. Attamen proſcriptiones hiſtrionum, *g*) exilia ſpectatorum *h*) inſignem ludorum loqvuntur contemtum. Alia mens Græcis erat, qui quos ludos & certamina ſemel inſtituerant, ne intermitterentur, diligentes ac ſeduli vigila-

bant, nec etiam horum ludi ad corporis luxum (ut Romadorum plurimi) erant compoſiti: Dabimus nos in præſenti diſſertatione exemplum Ludorum Olympicorum. Moderator Deus Opt. Max. his noſtris conatibus felicem largiatur ſucceſſum!

a) Plaut. Amphitruone prolog. v. 86. ſeqq. vide ibi quæ Taubmannus diſp. ad v. 91. de lectione Anno an Nannio, quæ prior veritati convenientior. Et Aſinar. Prol. v. 15. (licet Gvil. Canter. Nov. Lect. lib. 2. c. 20. novam m. adferat lectionem & verſum illum

Ut vos item alias pariter nunc Mars adjuvet

ita legat: *Nunc me ars adjuvet.*

tamen jamdum Joſ. Caſtalio obſervat. Decad. 2. c. 1. philologema hoc abſurdum eſſe prolixe oſtendit, & idem Taubm. p. 97.) Adde elegantiſſimum Arnobii locum Lib. VII. adverſus Gentes p. m. 145. eumque prolixum, ubi ex hoc argumento oſtendit, Deum non eſſe poſſe, qui tam inepte ludis delectetur Circenſibus. *b*) Erant enim etiam Dii Joculares vide Blondum lib. II. Romæ triumphantis ap. Gvevar. p. 687. *c*) Plinius lib. 16. c. 4. *d*) Tacitus lib. XIII. Annal. *e*) Svetonius in Auguſto c. 45. Vide Iſ. Caſaubon. p. m. 222. ad illa verba: *qui ſuam vicem præſidendo fungerentur.* & Caligul. c. 18. Addatur Modeſtinus lib. 1. Reſponſor. ff. 50. t. 12. l. 1. *f*) Vide M. Ant. Muret. lib. 17. Var. Lect. c. 14. quod ſalarium poſtea Lucar appellabatur à lucis, qui circa urbem multi, vide quæ commentatur Juſtus Lipſius ad lib. 1. Annal. p. m. 74. diſputari hic poſſet, annon etiam Locarii in Amphitheatris, qui locabant ac deſignabant locum in ludis, de quibus prolixe agit J. Lipſius de Amphitheatro, c. 15. ab hoc ipſo Lucare ita dicti fuerint, cum lucar poſtmodum quodcunque pretium etiam à privato hiſtrionibus datum deſignaret. De Roſcii mercede conf. Macrob. 3. Sat. 14. *g*) Excerpit hæc Gvevara ex Blondi lib. II. Rom. Triumphantis lib. 3. c. 46. §. 640. Horol. princ. *h*) Plinius Panegyr. Trajani c. 46. ed. Friſchm. *i*) Tacitus lib. XI. Annal. &c. &c.

Quæſt.

Unde dicantur Ludi Olympici?

AGones Olympicos à loco & Jove in cujus honorem celebrabantur, Olympicos dictos, neminem facile diſſentientem habebimus. At unde Olympia inquis? à Jove Olympio dico, qui Jupiter Jovium ſupremus & maximus videtur. Non enim unum ſolum Veteres credebant Jovem, ſed *Romanus Cynicus Varro a) trecentos Joves ſive Jupiteres ſine capitibus b) introducit.* Quæ multitudo videtur hinc nata, quod omnes Reges antiquos Joves, quemadmodum Reginas omnes Junones dicerent *c)*; Verum hos omnes Jupiter Optimus, Maximus *d)*, quem & Patrem Deorum Dearumqve *e)* credebant, obqve maximam ſuam potentiam (cujus inſigne ſpecimen tonitrua erant, qvod & ipſi reliqvi timebant Dii, ut docet locus ille Calabri Lib. 17. in Latinam verſus:

Venit itaq; in magnum Olympi verticem & concuſſit
Totum deſuper æthera iratus, aliasq; alia
Tonitrua miſta fulguribus horrendum reboant, inde etiam fulmina
Crebra ad terram effundebantur, flagrabatq; aër
Infinitus. Tum metus Deorum mentibus ingruit
Omniumq; membra tremuerunt, quamvis eſſent immortales.)

Omnipotentem *f)* dicebant, antecedebat, huncq; ipſum Olympicum dictum nulli dubitamus. Ab Olympo ſcilicet h. e. à cœlo, qui Olympus dictus *g)* quaſi ὁλόλαμπος totus ſplendidus, totus lucens, quam cœli partem Jupiter inhabitare credebatur: dividebant ſiquidem orbem ſuperum in duas partes, in Olympum & cœlum, quemadmodum inferum in Tartara & infernum. Sic diſtinguit Homerus Iliad. 8. μέγας οὐρανὸς Ὄλυμπος id eſt magnum cœlum & O-

 lym-

lympus, Plutarch. de defect. oraculor. οὐρανὸν καὶ ὄλυμπον, Cœlum & Olympum. Plato in Epinom. εἴτε ὄλυμπον εἴτε οὐρανὸν ſive Olympum ſive cœlum. Olympum regiam Jovis eſſe ſedem arbitrabantur, ex qua tonitrua edat, quod Valer. Lib. 1. Arg. *Summo depoſcere fulmen Olympo*, indicat, quam an per ſortem, cum de ſuis ſedibus inter ſe invicem ſortirentur Dii, acceperit, quemadmodum Pluto caliginem obſcuram Homero *b*) Neptunus aquam &c. conveniant ipſi Mythologi de hiſce fabulis inter ſe. Prudenter in rem ſuam ſcribit Callimachus in Hymno Jovis. *Neq; cœlum neq; Erebum ſorte ulla proveniſſe: nam nemo niſi ſtupidus vellet ſortem jaci de rebus longe diſtantibus, nam ſors eſſe debet de re æquali. Cœlum ergo Jovi contigit non ſorte, ſed potentia & virtute.* Imo quæ certitudo in his fabulis expectanda, cum in contrarium teſtimonia adſint cœlum Jovi, non vero Olympum attributum fuiſſe, ſic contra nos Homerus l.c. ubi Neptunus loquens de diviſione rerum inter ſe & Jovem & Plutonem:

Jupiter autem ſortitus eſt cœlum latum in æthere & nubibus,

Terra vero communis eſt omnium & altus Olympus.

Idem Iliad. 5. ἵκοντο θεῶν ἕδος αἰπὺν ὄλυμπον *pervenere ad Deorum ſedem altum Olympum.* Sed hoc non inſolens eſt in hocce ſtudio duos reperiri authores vetuſtos diverſiſſima ſtatuentes. Genealogiam Deorum Dearumqve aliquis exhibeat omnibus & Poëtis & Philoſophis Gentilibus reſpondentem? aut an Jupiter Saturni filius an Nepos, aut an Saturni parens cum conſenſu omnium veterum pronunciet? Et mihi magnus erit Apollo. Ipſi Gentiles quid crederent, & quos Deos haberent, ignorabant. Olympium ergo Jovem ab Olympo ſive cœlo dictum fuiſſe, & ab hujus templo oppidum illud Olympiam nuncupatam adfirmamus.

a) Ter-

a) Tertullianus in Apologet. c. 14. *b*) quid ſit *ſine capitibus* explicat Fr. Junius in not. ad illum Tert. locum p. m. 34. ſine capitibus, qui Dii non eſſent, ſed puri puri homines. *c*) Conſtat hoc ex vetuſtis inſcriptionibus vid. Ant. Auguſtinus Tab. 16. n. 20. & Tab. 6. n. 12. comprobat ſententiam noſtram Xenophon de æquivocis; *Saturni*, inquit, *dicuntur familiarum nobilium Regum, qui urbes condiderunt antiquiſſimi. Primogeniti eorum Joves & Junones. Hercules vero Nepotes illorum fortiſſimi. Patres Saturnorum Cæli uxores Rhea, Cælorum Veſta, quot ergo Saturni, tot Cæli, Veſta, Rhea &c.* Locus ſane inſignis qui in mythologicis multis dubiis medicinam præbet, adductus Ath. Kirchero Oedipo Ægypt. Synt. III. cap. III. p. m. 180. Approbat Voſſius Theologiæ Gentilis Lib. I. c. 14. p. m. 110. *Jovis nomine fabuloſa vetuſtas dignata eſt reges ac principes, qui ſui ordinis cæteros potentia antiſtarent. Itaque videas nullo prope ſeculo defuiſſe Jovem uſq; ad tempora belli Trojani.* *d*) Sic enim literas has J. O. M. in epitaphiis & monumentis quamplurimi philologor. exponunt JOVI OPT. MAXIMO, & Arnob. lib. 1. adverſ. gentes p. m. XI. *Sed fruſtra*, inquit, *nos falſo & calumnioſo incesſuis & appetitis crimine, tanquam eamus inficias eſſe Deum majorem: cum à nobis & Jupiter nominetur & optimus habeatur & maximus.* *e*) Val. Saron. ap. Kircher. Oed. Synt. III. p. m. 175. *f*) Videtur enim omnino lectio hæc retinenda ap. Virgil. lib. X. Æneid. verſ. 1.

Panditur interea domus Omnipotentis Olympi.

Ut Olympi per Synæreſin pro Olympii h. e. Jovis Olympii legatur; aut ſecundum Rhodig. lib. 20. Antiqv. Lect. c. 13. nulla hic ſit figura, cum dicatur & Jupiter Olympus & Olympius; adverſus illos qui vel hic Omnipatentis vel Omniparentis, ut B. Egnatius libr. Racemation. c. 20. legunt. Nec tamen hic noſtram etiam facimus Hadriani Turnebi ſententiam, qui lib. 29. Adverſ. 24. Omnipotentis vocem aliter quam vulgus explicat omnia complectentem omnibusqve potentem. Add. F. Taubmann. ad loc. Virgil. Diſſentit hic à nobis Lud. de la Cerda p. m. 409. qui cœlum omnipotens h. l. vocari contendit, ſed revera nobis contrarius non eſt. *g*) Cœlum tamen Olympus dictum fuit à monte illo altiſſimo Theſſaliæ, cujus ſummitatem

accolæ

accolæ illius Cœlum vocabant Scal. lib. 1. de Lat. lingv. Olympus montis nomen ob altitudinem, quem cum aſcenderent, interrogati quo irent, dicebant, in *cælum*, unde communicata vox. *b*) Homer. Iliad 15. Ἀΐδης δ᾽ ἔλαχεν ζόφον ἠερόεντα. Pluto autem ſortitus eſt caliginem obſcuram.

Quæſt. II.

Quis locus fuerit Olympia? Quod templum Jovis Olympici?

ELidis, quæ Peloponneſi pars eſt, antiquitus urbs fuit, Olympia; Jovis Olympii templo celebrata: quam, Piſæ vicinam aliqui, nonnulli vero partem illius urbis dixerunt: quidam denique, Piſam ipſam fuiſſe, priusquam Olympia diceretur, tradiderunt. Sita vero fuit, inter Alpheum & Peneum, Elidis regionis famoſiſſimos omnes; habuitque ſubjectum mœnibus ſuis campum ingentem, Auſtrum verſus, ad Alphei ripas usque ſe porrigentem. Docet has varias opiniones *a*) Joh. Biſſelius. Sive Piſa ipſa fuerit, ſive urbs peculiaris, (de quo certi eſſe ob diſſenſum Autorum non poſſumus) celebratisſima tamen erat templo Jovis Olympici. Diſcimus hæc ex Diodoro *b*) ubi de Hercule & duodecim ejus laboribus, cæterisque ab eo usque ad vitæ finem geſtis ita ſcribit: *Per agrum Leontium pergens, pulchritudinem ejus regionis admiratus, apud eos à quibus honorè exceptus eſt, externa ſui reliquit monumenta. Paulo poſt Jolao Nepoti templum ædificavit, oſtenditque, quomodo honores ei ac ſacra annua fierent, usque ad hoc tempus ſervata. Tanta vero ejus templi majeſtas habetur, reverentiaque, ut qui à ſvetis deficiant ſacris pueri, muti evadant & mortuis ſimiles. Iidem ſi voverint ſolita ſacrificia, ſuſcepto voto ſtatim ſiunt à morbo liberi. Palæſtra inſuper equorumque certamina quotannis, ad quæ publicè omnes ſervi, liberique conveniunt, inſtituere.* Aliud honoris argumentum dat Plinius *c*) & ex

eo

eo *d*) Alexander ab Alexand. *Fuitque literis proditum* (*ſi libet credere*) *ab immolato tauro Deo, quem Myjodem vocant, dum Olympiorum celebritas manet, muſcas ad unum catervatim Piſas concedere; rurſusque ludis abſolutis; eodem reverti: ſicut in Leucade apud Actium Apollinis, ubi Panegyrica celebritas futura erat, muſcas bove immolato, illius diſtentas cruore, protinus evolare.* Templum autem, in quo Jovi ſacra fiebant, famoſum erat, ob maximum Jovis ſimulacrum, de quo ita Strabo *e*) *Simulacrum Jovis Olympii tantæ magnitudinis à Phidia factum, ut quanquam ſit maximum, bonam tamen videatur proportionis rationem habuiſſe, qui ſedentem finxit, ita ut vertice columen propemodum tangat, ex ipſo ſane appareat, eum ſi ſurgeret, ſeque erigeret tecto templum eſſe nudaturum.* Ipſum vero ſimulacrum ſecundum Strabonem *f*) ex auro ſolido, ſecundum Plinium *g*) ex Ebore, & ex mente Pauſaniæ ex auro, & ebore, reliqvum vero corpus ex gypſo & fictili materia conſtabat. Pauſaniæ opinionem approbare videtur Dio Chryſoſtomus *h*) ſulphur adhibuiſſe Phidiam hunc Olympium Jovem facientem, ut Eboris materiam faceret durabiliorem ſtatuens. Hanc ſtatuam Galigula, teſte Svetonio *i*) Romam transferri voluit: *Futuræ cædis multa prodigia extiterunt, Olympiæ ſimulacrum Jovis quod diſſolvi, transferrique Romam placuerat tantum cachinnum repente edidit, ut machinis labefactis opifices diffugerent.* Cujus meminiſſe videtur Joſephus à Lazio citatus *k*) *Nam etiam Jovem Olympium, qui maxime apud gentiles venerabilis habetur, quem Phidias Athenienſis fecerat, auſus eſt Romam transferre: nec tamen ad effectum res perducta eſt, architectis dicentibus: Quod ſi illud moveretur ſimulacrum, aliquid poſſet mali accidere.*

a) Jo. Biſſelius Decad. III. Ruinar. Illuſtr. Ruin. Timanthis p. 854. *b*) Diod. Siculus lib. 4. aut aliorum ſupputatione 5. c. 2. *c*.) Plinius lib. 29. c. 6. *d*) Alex. ab Alex. lib. 5. c. 8. p. 471, conf. Iſaac.

Digitized by Google

Caſaubon. ad Athenæum lib. 1. c. 5. p. m. 17. 18. *e*) Strabo lib. 8. citatus m. Fr. Junio de Pictura Veterum Lib. III. c. 2. §. 10. p. 163. ubi m. diſſerit de ſimulacris & ſtatuis in maximis templis, minutis. * Not. Caſaub. h. l. pro ἐυςοχῆσαι uti Xylander, ἀςοχῆσαι legit, de qua lectione ipſi diſputent. *f*) Strabo loc. cit. *g*) Plinius l. 34. c. 8. *h*) Pauſanias Lib. I. *i*) Dio Chryſoſtomus Orat. XII. de cognitione Dei citatus Fr. Junio de Picturis Veterum L. 3. c. XI. §. 3. p. m. 310. *k*) Svetonius in Caligula c. 57. *l*) VV. Lazius de Rep. Romana lib. X. c. XI. p. m. 855.

Quæſtio III.

Quis primus Olympicorum Ludorum Author?

INſignem hic Autorum hiſtoricorum diſſenſum reperire licet. Ad quatuor tamen præcipue claſſes tota diſputatio referri poteſt. Phlegon *a*) diligentisſimus ille Olympiadum ſupputator inventionis laudem *Piſo* attribuit, de quo præter nomen parum conſtat, niſi quod unus forte è Neſtoris fuiſſet familia, judicio Magnifici Strauchii *b*) Alii *Atreo* & *Thyeſti* Tantali Nepotibus concedunt, in honorem Patris Pelopis illos ludos inſtituiſſe adfirmantes. *Pelops* ipſe aliis horum ludorum autor eſt, Phrygiæ Regis & Taygetes filius, qui maxima autoritate etiam Elide fuit, docet hoc Pauſanias *c*) ἡρώων δὲ τῶν ἐν Ὀλυμπίᾳ τοσοῦτον πρoτετιμημένος ἐςὶν ὁ Πέλοψ ὑπὸ ἠλείων, ὅσον ζεὺς θεῶν τῶν ἄλλων. *Præ cæteris Heroibus in Olympia tam colitur* apud *Eleos Pelops*, *quam Jupiter præ cunctis Diis.* De eodem Pelope Sulmonenſis ille vates: *d*)

--- --- Manibus mox cæſa paternis
Membra ferunt junxiſſe Deos: aliisque repertis,
Qui locus eſt juguli medius ſummique lacerti,
Defuit, impoſitum eſt non comparentis in uſum
Partis Ebur; factoque Pelops fuit integer illo.

Occaſio hæc fuiſſe dicitur: Poſtquam patria exiiſſet & Elidem

dem regnante Oenomao adiiſſet, qui unicam filiam nomine Hippodamiam habebat, hæc & ob formam eximiam, & ob regni totius hæreditatem,

Multorumque fuit ſpes invidioſa procorum.

Verum Oenomaus quum ex Oraculi reſponſo, à genero ſe interemptum iri, edoctus eſſet, duriſſimam hanc procis conditionem ratus, ut qui Filiæ frui vellet nuptiis, ſecum prius curruli certamine contenderet, idque ea lege, ut Victorem Filiæ ſuæ conjugium regnique ſui hæreditas, victum mors ipſa ſequeretur. Cum igitur complures equorum celeritate ſuperaſſet, Pelops viſa puella ejus amore penitus exardeſcens, alia via rem ſibi aggrediundam perſvaſus eſt, Myrtilum aurigam pretio corrupit, ut fragiles currui axes ſubjungeret. Quo facto Oenomaus curru diſſoluto excidit, moriensque Myrtili devovit caput, obſecrans Pelopem, ut cladem ſuam ulciſceretur, quod & factum eſt, quum enim perfidiæ præmium poſceret ab eodem Pelope in mare dejectus, ipſe autem hoc modo regno & nympha potitus eſt; Cujus Hiſtoriæ *e*) Strabo Autor eſt, Ipſe tamen *HERCULES* horum ludorum inventor quamplurimis creditur. At quis Hercules in tanta multitudine? cum Varro quadringentos quatuor collegerit. Alii *Herculem, Idæum, Thebanum* alii intelligunt. Thebani Herculis auctoritatem in conflictu nos defendemus. Licet hic nobis placeat Strabonis judicium *f*) *Omittenda ſunt*, inquit, *vetuſta, quæ & de Auctore Templi & inſtitutione certaminis feruntur. Aliis Autorem Herculem facientibus, unum de Idæis Dactylis, aliis Herculem Jovis & Alcmenæ Filium, qui & certaverit primus & vicerit.*

a) Edidit Phlegon Auguſti libertus, alias natione Aſiaticus, Trallianus ſedecim Libros Olympiadum, pauca illius fragmenta hodie poſſidemus ex editione Joh. Meurſii. *b*) teſtimonio Euſe-

bii Chron. Canon. in hiſt. Tiber. p. 208. *c*) Magnif. Dominus D. Strauchius peculiari diſputatione, quæ inſcribitur ΟΛΥΜΠΙΚΟΣ ΑΓΟΝ Wittebergæ habita 1661. Reſpond. Wolffg. Jacob. Frolingio §. 4. *d*) Pauſan. lib. 1. Eliac. *e*) Lib. 6. Metamorph. Fab. VII. ed. Schrevel. *f*) Strabo lib. 8. *g*) vid. lib. Gregor. Gyrald. de Diis Gentilium Syntagm. X. p. m. 316. *h*) Strabo lib. VIII.

Quæſt. IV.

Quo tempore fuere inſtituti? & quo anni tempore celebrati?

OLympia prima eaqve Herculea ſeculum vidit ab Orbe condito viceſimum octavum, aut ut Scaliger vult, primum certamen Olympicum commiſſum anno periodi Julianæ 3938. ante Romæ condituram, fere 500. ante nativitatem Salvatoris noſtri JESU CHRISTI, 1200. Sed mox ætatibus aliquot, ſeculisve prætermiſſi ſunt hi Ludi, adeo ut propemodum è memoria fuerint ſublati; ſiqvidem quadringentos ac triginta circiter annos non fuere celebrati, ea ut referunt culpa, quod Victorum in Olympicis nomina nondum æternitati conſecrarent. *Unde vel neminem vel vix quenquam, gloriæ perennitatis dulcedo (fortiſſimum certandi calcar) ad laboris tanti ſtudium excitabat.* Obſoletos autem hunc in modum ludos inſtaurare poſt annos ab Hercule quadringentos & quod excedit, Rex Elidis Iphitus, (aut aliorum ſententia Oxila) inſtinctu Lycurgi Lacedæmonii, anno Mundi 3188. poſt diluvium 1531. ante Romæ condituram, 24. ante nativitatem Chriſti 775. eodem anno cum regnaret Joathan Rex Judæorum, qui fuit à capta Troja annus 480. Sed nec hic reſtaurator Iphtus Victorum nomina immortalia eſſe voluit. De tempore jam Originis & reſtaurationis diximus; adjiciemus nunc etiam aliquid, quo anno & qua parte anni Ludorum Olympicorum fuerit ſolen-

ſolennitas. Quinqve diebus continuis Olympica certamina celebrari ſolita, repetebantur quinto quoq; Solſtitio, quo Sol in Zodiaco cancri regionem, æſtivis caloribus ingrediebatur. Quo fiebat, ut inter ludicrum prius, ac ludicrum poſterius, anni quatuor interjacerent; *Ideoq; fallant ac fallantur ii*, inquit Biſſelius, *qui ſpatium illud temporis, quod ab Ludis illis, Olympiadem nominavit antiquitas, annorum quinq; conſtituunt. Nam*, pergit, *annorum illorum quintus quisq; non ad antecedentem, ſpectabat Olympiada, ſed ad ſubſequentem, quam & inchoabat.* Hoc itaque tempus Græci Olympiadem dixere, unde & annorum curricula & tempora dinumerabant.

Quæſt. V.

Quot & qualia certaminum fuerint genera?

CUrſum vero primum fuiſſe certaminum genus, conſentiunt plurimi, inde Pauſanius: *a*) Δῆλον δὲ ἐξ οὗ γὰρ τὸ συνεχὲς ταῖς Μνήμαις ἐπὶ ταῖς Ὀλυμπιάσιν ἐςὶ ΔΡΟΜΟΥ μὲν ἆθλα ἐτέθη πρῶτον, καὶ ἠλεῖος κόροιβος ἐνίκα. *Manifeſtum eſt, quod quantum continuatas Olympiades hominum memoria conſequi poteſt, CURSUS primum certamen inſtitutum eſt.* In quo nonnulli *b*) Eleum Coræbum, alii *c*) Corylum Argivum, quidam deniqve *d*) Herculem ipſum primum exſtitiſſe victorem, memorant. Quantumvis autem prima hæc inſtitutio id potiſſimum ſpectaverit, ut in ſtadio decurreretur; nihilominus variis Græciæ mutationibus, varie concertatum eſt; Nam mox curſui ſimplici certamen adjecerunt ludicrum, quod πένταθλον Graii, Quinqvertium Latini vocant. Conſtabat hoc genus cæſtu ſive pugilatu, curſu ſeu ſtadio, ſaltu & diſco, Palæſtraq; ſive Lucta. De quibus pulchre Simonides:

Iſthmia devicit Diophon & Pythia diſco,
Et ſaltu & pugnis, & levitate pedum,
Atque Palæſtra.

Sed

Sed & his alios ludos Græci addiderunt; ſiquidem per *d*) Iphitum inſtaurati, initio curriculi modo concertationes habuere. Fuerunt etiam, qui non una vice tantum ſtadium decurrerent, ſed in una die bis, quod Phamas Pellenæus *e*) fecit Olympiade ſexageſima ſeptima, quod genus curſûs δίαυλον Græci vocarunt. Fuerunt qui cantu, qui fidibus, qui tibiis, qui cithara, atque cæteris aurium mulcedinibus inter ſeſe contenderent. Fuerunt *f*) præter homines etiam & pulli equorum, & varia vehiculorum genera in hos ludos admiſſa. Venuſte eos *g*) Alexander Neapolitanus deſcribit: *In quibus (Ludos Olympicos intellige) Agrigentini Equi atq; Ætnæi ſemper pracelebres habiti, & ex Epiro primas in Olympiacis meruere, atque ex Venetia in Sacris certaminibus ſæpe nobilitati ſunt: præcipui vero Niſæi, quibus Perſarum Reges utebantur, & apud Eleos educati, quibus non ſegnis equorum cura fuit: quippe qui finibus eductas iniri faciant, quod eſſet experimento cognitum, miræ felicitatis prolem inde provenire: ſicut apud Argivos ad lucum Agenoris hircos pecudibus admittunt, ut fœcundiſſimos habeant fœtus, uberes & quæſtuoſos. Fertur tamen Alcibiades ſeptem quadrigas miræ pernicitatis & Olympia deduxiſſe, & victor fuiſſe. Hecratites Theſſalus equa prægnante Olympia viciſſe.* Hæc Alexander. ΠΕΝΤΑΘΛΟΝ tamen & Pancration (de quibus paulo dicetur inferius) ſemper inter nobiliſſima & decantatiſſima Olympica certamina fuerunt numerata.

a) Pauſan. Eliac. 1. *b*) Andr. Tiraq. in Alex. ab Alex. lib. 5. c. 8. ex Pauſan. lib 6. *c*) Vide Euſeb. in 10. de præpar. Evang *d*) d. ex Plutarch. in Theſeo, cui adſtipulatur Lazius de Rep. Rom. lib. X. c. XI. p. m. 854. *e*) vid. Nat. Comit. Mytholog. lib. 5. c. 1. *f*) Joh. Biſſel. Ruin. Illuſtr. Dec. III. Ruin. Timanth. c. 1. *g*) ibid. p. 860. *h*) vid. Nat. Com. loc. ſupra cit. *i*) Genial. dier. c. 8. lib. V.

Quæſt. VI.

Quale certamen fuit ſtadium ſeu curſus?

Stadium

Digitized by Google

STadium locus eſt, in quo curſu & luctatione exercemur, & habet ſtadium, ut Hieronymo placet, pedes in longitudinē ſexcentos; nuncupatum vero ſtadium ἀπὸ τῆς στάσεως, i. e. à ſtatione, quod ſtadium terræ ſit ſpatium tantum, quantum Hercules, Olympici certaminis inſtitutor, uno ſpiritu hoc modo peregit, ut ante nec conſtiterit, nec reſpirarit, quam abſolveret. Atque accurate & ſpectatores & judices hoc curſus ſpatium in exemplum reliquorum curſuum obſervarunt. *Fuit vero ſpatium illud Herculei ſtadii, ſine Spiritûs reciprocatione tranſacti, centum viginti quinq; paſſuum, quales ætate Plinii Romani Geometræ metiebantur, quæ menſura pedum ſexcentenum ac vicenum quinum eſt: adeoq; milliaris Italici pars octava.* Hoc genus ludi Græcis acceptiſſimum gratiſſimumqve erat, quo omnes delectabantur, quod antiquiſſimum eſſet.

Quæſt. VII.

Quis modus Palæſtræ ſeu Luctæ?

PAlæſtram ſeu Luctam græcam vocem ex uſu fecerunt Latinam. Dicitur enim Palæſtra ἀπὸ τοῦ πάλλεσθαι τὸ σῶμα, id eſt, corporis agitatione & concusſione, ſive quod ante Luctam urna moveretur, ut Serv. voluit, quoniam ſorte ducti luctabantur. Memorabile ſane videtur illud ſortitionis genus, quo Athletæ & Luctatores olim ad pugnandum utebantur. Nam calculis in urnam conjectis binæ compares literæ inſcribebantur; quique eductis ſortibus pares ſortiti erant, invicem committebantur. Et Veneti hodie, ſi quid agendum eſt, ita ſortitionem efficiunt e. g. de ratione belli, ad cujus urbis expugnationem primum debent deduci exercitus. Nomina ſcilicet expugnandarum urbium in urnulam conjiciuntur: ea puerulus quiſpiam manu miſcet, & unam è chartulis, quæ ſingularum Urbium continent nomina, deferat ad Principes, atqve tunc ab ea oppugnanda bellum inchoari

choari

Digitized by Google

choari debet. Sed ad vocem Palæſtræ. Hæc non tantum ludũ ſeu certamen illud denotat, ſed & locum, in quo illa exercebantur. Ulpianus eleganter de Palæſtra appellat eum, qui Palæſtræ dat operam. Accipitur etiam Palæſtra pro decenti motu geſtuqve totius corporis, quem Galli contenantiam vocant, unde Palæſtritæ vocantur, qui in hiſce corporis decentibus geſtibus inſigniter excellunt, ut è contra Apalæſtri, qui talium ſunt expertes. Certabant autem hi luctatores nudi & inuncti, ut Ariſtoteles aliiqve adſtruunt. Deſcribit Cicero *a*) horum certamen, *Adoleſcentium greges*, inquit, *Lacedæmone vidimus ipſi, incredibili contentione certantes pugnis, calcibus, ungvibus, morſu deniq́, ut exanimarentur prius, quam ſe victos faterentur.*

a) Cicero Lib. V. Tuſcul. quæſt.

Quæſt. VIII.

Qualis Ludus fuerit Diſcus?

DIſcus primum ſignificat vas latum (ut Julius Pollux teſtatur) ad portandas carnes aptum. Unde ab *a*) Hieronymo dictus eſt Diſcophorus ille, qui Danieli prandium portavit. *b*) Iſidorus ſic explicat: *Diſcus*, ſcribit, *antea iſcus vocabatur à ſpecie ſcuti, unde & ſcutela per diminutionem*; Eſt enim ejusdem ſimilis. Poſtea diſcus vocatus eſt, quod det eſcas, id eſt, apponat. A quo & diſcumbentes dicti: *ſive ἀπὸ τοῦ κεῖσθαι, id eſt, quod jaceant.* Diſcum autem, quo uſi fuere in ludis Olympicis prolixe deſcribit *c*) Joh. Biſſelius, *Molem ſcilicet fuiſſe planæ rotundæq́ figuræ, ad ſimilitudinem lancis ſeu paropſidis, quam figuram ac magnitudinis menſuram opticam cum ſolis etiam adſpectus ruſticorum oculis, & ideotarum æſtimationi, ingerat: mos obtinuit Græcorum ut & Sol ipſe non ἥλιος tantum, ſed & δίσκος diceretur. Quanto magis & orbiculati abaci, ác menſæ? unde Germanis hodieq́ menſa ſeu τράπεζα,* Diſch oder Tiſch *appellatur. Porro qui Juvenum*

in

in Olympico certamine, diſcum (qui vel ſaxeus erat, vel ſtanneus plumbeusve, vel ferreus) aut altius in aërem, aut longinquius ultra metam manu projeciſſet: Victor è diſco diſcedebat. Huc usqve Biſſelius. *d*) Fuit itaqve Diſcus Olympicus inſtar pilæ æneæ, quæ brachiorum viribus excepta, & in altum miſſa, exercebat corpora, ita ut quantum qvisq; viribus præſtaret, maxime conſpicuum eſſet. Namqve is fortior, & præcipuo robore habebatur, qvi illum ultra ſignatū geſſiſſet ſcopum. Meminit hujus ludi *e*) Cicero: *Nam & ſeculis multis*, inqvit, *ante Gymnaſia inventa ſunt, quam in his Philoſophi garrire cæperunt, & hoc ipſo tempore, cum omnia Gymnaſia Philoſophi teneant, tamen eorum auditores Diſcum audire, quam Philoſophum malunt, qui ſimul ut increpuit, in media oratione de maximis rebus & graviſſimis diſputantem Philoſophum omnes unctionis cauſa relinquunt, ita delectationem graviſſima, ut ipſi ferunt, utilitati anteponunt. Martial. f*)

Splendida quam volitent Spartani pondera Diſci
Eſte procul pueri, ſic ſemel ille nocens.

Ita de eodem Ovidius: *g*)

Corpora veſte levant, & ſucco pinguis olivæ
Splendeſcunt, latiq; ineunt certamina Diſci.

a) Vid. Pollucem & Hieronymum. *b*) Iſidorus Origin. lib. XX. c. 4. de Vaſ. Eſcariis. *c*) Ruinar. Illuſtr. Dec. III. Ruin. Timanth. annot. *d*) Vide m. Alex. ab Alex. Genial. Dier. lib. III. c. XXI. *e*) lib. 2. de Orator. §. 21. *f*) lib. 14. *g*) Lib. X. Metamorph.

Quæſt. IX.

Quale certamen Ceſtus?

CEſtum *a*) alii ſcribunt per Diphthongum & derivant à cædendo, quia ad cædendum ſeu pugnandum eſt comparatus. *b*) Alii *Ceſtus* à vocabulo græco κέστον, cingulum. *c*) Gvidonis Pancirolli hæc ſententia eſt: *Erant autem Ceſtus lora brevia initio, mox ne excuſa exuerentur in ictibus, tum cubitis tum humero alligabantur. Poſtremo ferrum plumbumq;*

aſſutum eſt ſæviſſimo ſpectaculo. Cerebrum enim ac guttur facillime elidebant. Idcirco aurium munimenta induebant. Tota ergo ars ictum vitare non fuga, ſed corporis inclinationibus & flexionibus. Tum autem excipere ictum ictu ſi ſit fortior. Poſtremo ne inferre ictum fruſtra: concidebant enim plumbi onere præcipites acti, ſi impenſius niterentur verberare. Eleganter hunc ludum Maro delineavit: *d*)

In medium geminos immani pondere ceſtus
Projecit, quibus acer Eryx in prælia ſuetus
Ferre manum, duroq; intendere brachia tergo
Obſtupuere animi tantorum ingentia ſeptem
Terga boum plumbo inſuto ferroq; rigebant.

Nec *e*) Tullius hujus certaminis ignarus, dum inquit: *Jovem Olympium eum ipſum, cui ſe exercebit, implorabit: ferre non poſſe clamabit. Conſuetudinis magna vis eſt, pernoctant venatores in nive, in montibus uri ſe patiuntur, inde pugiles, Ceſtibus contuſi, ne ingemiſcunt quidem. Et paulo poſt: f) faciunt idem, cum exercentur Athletæ, pugiles vero, etiam cum feriunt adverſarium, in jactandis Ceſtibus ingemiſcunt: non quod doleant animove ſuccumbant, ſed quia in profundenda voce omne corpus intenditur, venitq; plaga vehementior.*

a) Becmannus de Orig. Lat. L. & Perottus in Cornu copiæ. *b*) Gvidon. Panciroll. Rer. Memorabil. part. 1. T. 60. de veter. lud. *c*) l. 1. poet. c. 22. *d*) Virgil. lib. 5. Æneit. *e*) lib. 3. Tuſc. quæſt. §. 41. *f*) § 55.

Quæſt. X.

Quale certamen Pancratium?

Pancratium etiam floruit, præ cæteris Olympiæ certaminibus, idq; non modo olympicis ſolum, *a*) ſed Iſthmiis quoqve, Nemæis ac Pythiis in concurſibus. Et hi vocabantur Pancratiaſtæ, qui in arena omni genere reſiſtendi pugnabant, quemadmodum recte Suidas Pancratiaſten manibus pedibusqve pugnantem interpretatur. Fuerunt autem ii, qui

qui certamen pentâthli Gymnicum illud, de qvo mentionem fecimus ſuperius,qvinq; nimirum conſtans depugnandi generibus, non obirent tantum univerſum, ſed etiam cum victoria. Pancratiaſtis hinc tanti nominis dignatio, ut niſi ſingulorum & omnium certaminum palma plena victor extitiſſet neutiqvam contingebat, nec id immerito; Unde enim aliud Pancratium dictum, qvam vel *ἀπὸ τοῦ πάντων κρατεῖν*, quod Pancratiaſtes ſit omnium victor & occupator, ſive partium ac palmarum Pentathli ſive ſecum certantium; vel ut alii volunt *ἀπὸ τῶν πάντων κρατῶν*, hoc eſt, quod cunctas vires ſuas hoc in certamine Gymnico effunderet, ut *b*) Panætius apud Gellium diſſerit: *ad certandum vocati, projectis alte brachiis conſiſtant, caputq; & os ſuum manibus oppoſitis, quaſi vallo, præmuniant, membraq; eorum omnia, priusqvam pugna mota eſt, aut ad vitandos ictus cauta ſint, aut, ad faciendos, parata.* Prodibant autem Pancratiaſtæ, Sole occidente, qvoniam dies abſumebatur qvinqvertio, tunc non ſolummodo horum certaminum præfecti laborabant, ut omnia ſine fraude procederent, ſed etiam ne cuiqvam vel ab adverſariis, vel a Judicibus inferretur injuria. Qvid autem differat Pancratiaſtes ab Athleta cæterisqve gladiatorum generibus, ex hiſtoria, Diagoras Rhodius tres filios adoleſcentes habuit, unum Pugilem, alterum Pancratiaſten, tertium Luctatorem, hos omnes vidit vincere, coronariq; eodem Olympiæ die. Et cum ibi eum tres adoleſcentes amplexi coronis ſuis in caput Patris poſitis ſvaviarentur, cumq; populus gratulabundus flores undiqve in eum ſpargeret, in ipſo ſtadio ſpectante populo in oſculis atqve in manibus Filiorum animam afflavit. Ab iſto genere gladiatorum pancratium ipſe actus veluti pugilatus nomen accepit, *d*) affirmante Lazio, qvod ex eo dictum eſt, qvod advocatis omnibus corporis viribus omniumqve tranſigatur contentione nervorum; calcibus enim & cubitis, non pugnis mo-

do utebantur; Atqve hoc certamen cum maximo vitæ diſcrimine erat conjunctum. Hinc *e*) Ulpianus legem conſtituit, *Si quis in colluctatione vel in Pancratio, vel pugiles dum inter ſe exercentur, alius alium occiderit; ceſſat Aqvilia: quia gloriæ cauſa & virtutis, non injuriæ gratia videtur donum datum &c.*

a) Joh. Biſſel. Ruin. Timanth. c. 1. *b*) apud A. Gellium lib. Noct. Attic. 13. cap. 26. *c*) ibid. lib. 3. c. 15. *d*) lib. X. de Rep. Rom. cap. 13. *e*) l. 7. §. 4. ad Leg. Aqvil.

Quæſt. XI.

Quale Eruditorum in Olympicis certamen?

a) ANtonius Gvevara, ex *b*) Laërtio refert, Biantem ad Ludos Olympicos acceſſiſſe, qvo certatim omnes totius orbis nationes convolabant, ac tale ibi ingenii ſui ſpecimen dediſſe, ut omnibus, qui aderant, Philoſophis præferretur, veriqve Philoſophi gloriam reportaret. Cum autem in Ludis Olympicis moraretur, cæteri Philoſophi nonnullas ei quæſtiones propoſuerunt, quas, cum notatu & memoria ſunt digniſſimæ, breviter adjiciam.

Problemata Bianti in Ludis Olympicis propoſita.

Interrogatus, quis eſſet in hoc mundo ærumnoſo infeliciſſimus. Reſpondit: *qui ferre neqvit infelicitatem.*

2.

Percontanti, quid inter homines judicatu eſſet moleſtiſſimum? *Nihil*, inqvit, *quam litem inter amicos diſcernere.*

3.

Quærenti, quid difficillimum eſſet menſuratu? *Nihil*, inquit, *tam accuratam deſiderat diligentiam, quam tempus.*

4.

Sciſcitanti, qvid eſſet in qvo præſtando nihil loci foret excuſationi, quo minus præſtaretur? *Promiſſum* reſpondit.

5.

Rogatus, quid ſumma cura quærendum? *Nulla*, inquit, *de*

de re æqve ſollicitos eſſe mortales oportêre, quam de quærendis conſiliis & conſultationibus.

6.

Interrogatus, qua in re laudanda tarditas? *Una,* dixit, *ſolummodo in re licere hominibus tardos eſſe, nempe in electione amicorum.*

7.

Poſtremo roganti, Quid optandum calamitoſo, metuendum felici? *Huic,* ait, *mutatio fortunæ; Illi cogitatio de fortunæ mutabilitate.*

De his & interrogatus fuit, & reſpondit Bias in Ludis Olympicis, Olympiade, ut numerant, ſexageſima. *c*) Svidas etiam autor eſt Herodotum in Olympicis publice legiſſe ſuam hiſtoriam, & à populo poſtmodum fuiſſe coronatum.

a) Horolog. Princip. lib. 1. c. 21. § 76. *b*) lib. 5. de vitis Philoſoph.
c) Strauchius agon. Olympic. §. ult.

Quæſt. XII.

Quales Leges habuere in Olympia?

QVæ leges olim in Olympicis ludis ſancitæ erant, hinc inde apud Autores legi poſſunt. Proferam paucas.

a) Prima. Sacrorum lege fuit prohibitum, Olympicum certamen ſpectare Mulieres. Præter ſolam *b*) Phereniceen, cui uni omnium fœminarum, ſpectaculo gymnico intereſſe permiſſum eſt, cum ad Olympia Filium Euclea certamen ingreſſurum adduxiſſet, Olympionica Patre genita, fratribus eandem palmam aſſecutis latera ejus cingentibus.

Secunda. *c*) Barbaris non licere pugnare, lege cavebatur.

Tertia. Initio Ludorum Olympicorum dedecus erat, nudatis corporibus apparere in ludis. Poſtea autem Lacedæmonii decertantium corpora nudari, moxqve oleo inungi edocuere. Primum igitur, qui corpore nudato acceſſit Olympiam, *d*) Hacanthum Lacedæmonium fuiſſe fama eſt.

Quarta: *e*) Qui largitione corruptis adverſariis pugnabant, quiq; athletæ ad præſcriptum tempus non veniebant, multa plectebantur.

Quinta: *f*) Nefario ſcelere convictis, aut crimine damnatis, nec in certamen, nec ante commiſſionem ſpectaculi ad immolandum venire licebat; qvippe Athletarum Parentes, & omnem ſtirpem citra labem eſſe voluerunt.

Sexta. *g*) Augea ab Hercule ſuperato, Elidæi præſidere ludis Olympicis, velut certaminum Judices, juſſi ſunt. Hinc quibus Olympiis Piſæi, ſine civium Elæorum præſcitu, præſiderent, ii ludi ceu illegitimi, ſpuriiqve æſtimarentur, ac nominarentur An-Olympici.

Septima. *h*) Judices ſententiam de certatoribus pronunciaturi juramento confirmabant prius ſe nullam ob rem judicandam capturos eſſe pecuniam nec probata aut improbata in vulgus prolaturos.

Octava *i*) Collecta mulctatitia pecunia, quam à delinquentibus accepiſſent, in uſus templorum convertebatur.

a) Lactantius ſuper ſtat. 1. Thebaid. *b*) Valerius Max. l. 8. cult. *c*) Alex. ab Alex. l. 5. c. 8. *d*) Dionyſ. Halicarn. l. 7. *e*) Alex. ab Alex. loc. ſup. cit. *f*) ibid. *g*) Biſſelius p. 855. *h*) Nat. Com. lib. 5. c. 1. *i*) ibid.

Quæſt. XIII.

Quo præmio Victores in Olympia coronabantur?

MUlta præmiorum genera fuerunt diverſis temporibus. Plurimum vero corona ex *a*) oleaſtro vel *b*) calliſtephano, Oleæ genere, victoribus velut grande virtutis præmium fuit propoſita. Præterea Victori erigebatur *c*) ſtatua. Si autem *d*) tertia vice ex Olympia victor abiret, ſtatuæ, quas iconas vocant, ſimilitudine membrorum exprimente dicabantur; *e*) & conſiſtebat præmium ſæpius quoqve in annonis, obſoniis, penſitationibus; imo *f*) more triumphan-

phantium, in Patriam reverſuri dejecta parte muri inibant, *g*) ſtatuaqve in foro & perpetua immunitate fruebantur, adeo ut non immerito Alexander Neapolitanus Olympionicem majorem quam Romæ de hoſtibus cenſet triumphum. Hinc *h*) Vitruvius, parum abfuit quin Victores in Deorum quoque gentem & familiam tranſcriberet, Et Horatius de eis ita ait *i*)

-- -- metaq; fervidis,
Evitata rotis, palmaq; nobilis,
Terrarum Dominos evehit ad Deos.

Tantæ dignationis exiſtimata fuerunt præmia illa ſive commoda, ut quamvis alias ſpei emtio, venditio ſit, (v. g. Si quis aleam ſive jactum retis emat) l. 8. §. 1. ff. contrah. empt. & l. Si jactum 12. de act. empt. Spes tamen illorum, quæ dixi, præmiorum oppignorari minime poſſit, adeo, ut ne generali qvidem bonorum obligatione ea comprehendantur. l. Spem eorum 5. C. quæ res pig. & obl. poſſ.

a) Herodot. l. 8. princ. Plin. l. 15. c. 4. Alex. ab Alex. lib. V. c. 8. *b*) Ariſtot. Auſcult. c. 50. Pauſan. lib. 5. *c*) Plin. lib. 34. c. 4. *d*) ibid. *e*) Guidon. Pancir. part. 1. t. 60. de Ludis veter. *f*) ibid *g*) ibid. *h*) lib. 4. *i*) od. 1.

Additamenta.

I.

MUlieres Olympico certamini non interfuiſſe (præter unam Pherenicen, cui ex ſingulari gratia hoc ipſum erat indultum) ſupra diximus. Homines enim nudato corpore ſeſe exercentes videre, pudori ac verecundiæ mulierum contrarium putabant Græci, ac plane inconveniens. Secus ac in hodiernis ſpectaculis & Torneamentis, quibus licite fœminas intereſſe non dubitandum, qvum nihil in ſe obſcœnitatis contineant. Non obſtante, quod LL. præceptum, mulieres domi ſe continere, nec cætui publico ſeſe demonſtrare debere in l. 2. C. de his qui ven. ætat. impetr. Virorum congregationibus contra ea ſe immiſcere omnibusqve ſe ma..ifeſtare reperiatur prohibi-

hibitum. in l, 21. de Procurat. adeo, ut ſi mulier Circenſibus, Theatris, aut Amphitheatris ad ſpectandum interfuerit, ignorante aut prohibente viro, divortio ſit Locus Nov. 22. cap. 15 §. 1. Nov. 117. cap. 8. §. 6. Hæc enim non ita generaliter accipienda eſſe docet Limn. de Jur. Publ. P. 1. c, 5. n. 36. ſeqq.

II.

Simili modo ac Mulieribus, ita & Clericis ſ. Eccleſiaſticis Perſonis, Jure Romano, ad quodlibet ſpectaculum ſpectandi gratia accedere, legimus interdictum in Nov. 123. cap. 10. Quandoquidem Gladiatorum ſceleribus non minus ac cruore profundatur, qui ſpectat, quam ille qui facit, ſecundum Lactantium. Hinc cruenta ſpectacula ab Imperatore Conſtantino in L. unic. C. de gladiator. penit. tollend. in totum videmus ſublata. Quod & ad Torneamenta extendit, eaqve ſimpliciter improbari colligit Bruunem. ad dict. L. unic Damnant equidem Canones ejusmodi ſpectacula, hinc ea à Clemente V. in cap. unic. X. de Torneament. ſeveriſſime, & quidem ſub pœna privationis ſepulturæ Eccleſiaſticæ interdicta novimus. Cujus tamen conſtitutionis rigorem ad Regis Franciæ & Navarræ inſtantiam mitigavit Johannes XXII. in cap. unic. Extravag. de Torneament. Cæterum an hodie Torneamenta iterum in uſum revocari debeant, pluribus diſputat Limnæus de J. Publ. P. 2. c. 5. n. 129. usq; ad finem.

by Google